


E P I S T O L A


 LLUSTRISSIMI Celsissimiq; Princi-
 pes ac Domini clementissimi, Generosi,
 Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi
 Præstantissimique Viri. Nulla penè juris
 pars est, quæ sit subtilior & difficilior Ju-
 risdictionis & Imperii materia, per
 quæstiones in opiniones tam Theoricas, quàm practicas red-
 acta. Hanc primi autores subtilissimo ingenio & acerrimo
 iudicio pertractarunt, & limpidissimam ac purissimam ad
 posteros transmiserunt, sed postea Variis Rerumpublicarum
 vicissitudinibus incidentibus, Magistratum quoque con-
 ditione, & statu multum immutato, denique vocabulis, quæ
 ad eam rem pertinebant, ex usu nativo descendentibus, &
 aliam significationem assumentibus, ita obscuratam, & in-
 volutam, ut Romanae illius Jurisdictionis & Imperii ve-
 stigia vix appareant, ex tenebris istis rursus produxerunt, &
 abdita ac retrusa quæque aperuerunt, primarii, nostra su-
 periore etate Jurisconsulti, quorum ea in parte solertiam sub-
 tilem, & iudicium acre admirari rectiùs, quàm imitari li-
 ceat. Nec tamen interim vulgares interpretes contemnen-
 di, quin potiùs sua laude, qui difficillimam ac nodosam Ju-
 risdictionis & Imperii materiam ad præsentem Reipubli-
 cæ formam accommodarunt; nam constare jus non potest,
 teste Pomponio nostro, nisi aliquis Jurisconsultus, per quem
 possit quotidie in meliùs produci, & uti Clarissimus doctissi-
 musque